TORINO
CA

LIBRERIA ANTIQUARIA
PREGLIASCO
TORINO

TO0240738 6P

De Silva Joann
1747



PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
R. – c – 239

TAURINI
URBIS FORMOSISSIMÆ
POETICA DESCRIPTIO

Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo

D. D. PRÆSULI

ABBATI
JOANNI ANTONIO
PALATIO DE SILVA

Œconomo Generali S. M. Sard.

In Obſequium

ANDREAS STERPI ARCHIPRESBYTER
CLASTIDII.

PLACENTIÆ MDCCXLVII.

Prælo Philippi Joſeph Jacopatii, cum Privilegio S. M.
Et cum Superiorum facultate.

2343

Calliope Taurinum miſſa Apolline Mecœnatem vovet

FAma tubis centum, centum volitaverat alis
Taurini miranda canens; ad Apollinis aulam
Venerat; exardens animo me inviſere juſſit.
Caſtalio non fonte bibam, non Phæbus avenam,
Nec Muſę cantum pręſtent. *Tu ampliſſime*, PRÆSUL,
Tu ſatis ad dandas noſtro pro carmine vires.

TAurinum *vidi, quod circumquáque coronant*
Frugiferi colles, & læti gramina campi;
Chloridis, & Conjux (a) *placidis circumvolat alis*
Lænit, & æſtivas, & brumæ temperat horas.
Tranſivi Eridanum primævo gurgite natum
Ponte ſupervectus, latoque hinc tramite ductus,

(a) Zephyrus.

Ad Portam (b) *dixere novam, ſic nomine Cives*
Pervenio; elatis quot propugnacula muris!
Et labyrinthæas per devia, & invia factas
Marte vias, alto circumdata Mœnia Vallo.
Obſtupui ingrediens Palatia tollere in altum
Par caput, (c) *atque pari Moles ſplendeſcere cultu.*
Dilatat primam, latere ex utroque, Plateam (d)
Capripedes ſatyros vidi, faunoſque bicornes,
Sylvanoſque Deos nemorum ſua ligna ferentes
Ad Cives aptanda focis venundare; circum
Admiranda vides fixis miracula votis
Marmore, & artificum portenta inſurgere tectis.
Tramite directo pandit via lata ſecundam (e)
De Caſtro dictam; hìc placuit deſcendere curru.
Inſpexi Cives lento veſtigia greſſu
Inflexiſſe, levi terram pede lambere, gyro
Sermones conferre, jocoſque, & fallere ludos,

Quæque

(b) Porta, vulgò, nova, cùm ſuis mœniis.
(c) Palatia pari celſitudine, & ſtructurâ ex utraque parte.
(d) Platea, ubi ligna comburenda venduntur, & quam Ædes quadrato ordine & miro cultu circumeunt.
(e) Platea, vulgo Caſtello, ubi Cives conveniunt, & inibi frequentia Populi.

Quæque dabat ſpectanda oculis ibi cernere, Cælo
Hinc quæ provehitur, quâ non præclarior Ædes
Altera, magnificam dextrum latus exhibet Ædem:
En quanta o Superi rerum miracula! dices
Hanc Ædem coluiſſe Deos; ſuffulta columnis
Porticus innumeris triplici de fronte Plateam
Circinat; Artificum pretioſo elata labore
Erigitur Moles, Molem evehit altera Moles, (f)
(Cui nomen REGINA *dedit,* REGINA *colebat)*
Qua Deitas quadruplex de tecto ad ſidera, Cæli
Provocat Artifices deſcendere REGIS *ad Aulam,*
Invitatque parem contendere in artibus artem.
Advenit quidam Vir nigri veſte coloris
Indutus, (g) *dorſo tunica labente, galero*
Pendulo, & e mento collare bilingue cadente,
Cumque manubriolis, vulgo Prior, obvius inquit.
Advena non Ædem mirare, at in Ædibus Urbem.
VICTOR AMEDEUS *primus de prole ſecundæ*
Conjugis, *Heroes inter non vana Sabaudos*
Omina divinant Grandem, *quam conſpicis Ædem*

 Ille

(f) Palatium Ducis Sabaudiæ, vulgò di Madama Reale.

(g) Sacerdos, vulgo Prior, præbet documenta, tum Ducis, tum Regis, tum Urbis, regięque originis.

Ille regit Genitus, Patris *pars maxima cordis.*
Pulchra Venus ſpeciem dedit Huic, *Mars præbuit enſem.*
Jungetur Regina Duci, *ſeroſque Nepotes*
Viderit ex Natis *æternum germine in ævum*
Ducere progeniem; (præſagia credito Vatis)
Pax erit, & volucris tunc alba redibit ad Arcam.
Condidit hanc Urbem Romana Colonia, cultu
Extulit a proavis, veteri monumenta recenti,
Mœnibus invictam, & forti aggere reddidit Arcem
Carolus Emanuel *communi voce ſecundus,*
Regius ille Heros *de* Saxone *germine Regum,*
Et per Cæſareas puro de ſanguine venas
Fluxus, tum Martis, tum Palladis Arbiter, Omen
Cæſaris, & Regis tulerat, populoſque Sabaudos
Pro mirâ pietate fovens, ad fræna rebelles (h)
Non ſatis indomuit Ligures, at fortior Avo
Carolus Emanuel *Regnans nunc ſubdere cogit*
Colla jugo Ligures, ſubmiſſis Victor in armis.
Vidi ego (i) *Regali,* Regem, *cum prole,* Parentem
Claſtidii ſacri primus ſacer Incola Templi,
Me flexi ad Regem, *ſacræ dedi & oſcula dextræ,*
Tradidi & aſperſu luſtralem fontibus undam:

Verba-

(h) Carolus Emanuel Rex ſubdit Ligures.
(i) Reſponſum Calliope ad Priorem.

Verbaque pauca tuli, proprias cum ad prælia turmas
Flecteret imperio, Victorque *rediret ab hoſte.*
(k) *Cum Jove fœdus habet divinâ in* Sindone *noſter*
Rex, *tanto pacis cum pignore fulmina Martis*
Non timet; æthereo Cœli ſub tegmine curſu
Numinis effigies ſacrato in vellere picta
Ad decus ecumptæ ſublimi culmine portæ
Panditur, Angelicis, populò recolente, Miniſtris
Regis *ad imperium; gaudet coluiſſe triumphum*
Noſtra ſalus primo de crimine preſſa reſurgens.
Helena nec Lignum, Theodoſi jactito Clavum,
Ticini Spinas nec Regia Roma Columnam,
Et Scalam, tantis divina Morte triumphis
Exultat jam noſtra Fides: ſunt arma doloris
Illa, ſed exhilarat Taurinum Sindone, *veræ*
Lætitiæ ſigno, proprio quâ ſanguine pinxit
Se Deus; inſpexi turmas diſcedere eois,
Occiduiſque plagis utramque ſubire plateam;
Lata ſatis non eſt, non ſuſtinet utraque gentes
Innumeras, tanto quod pondere quaſſa dehiſcat
Tellus. Non mirum: at miranda Urbs æmula Cœlo,
Si totidem fulget facibus, quod & emicat aſtris

 Æther;

(k) Subſequitur ſermonem Prior, & de S. Sindone exhibet, eventum.

Æther; Vidiſſes celſum tabularia tectum
Quadruplici partita Choro, tetigiſſe theatrum,
Inſuper, & circum totam ſtipare Plateam.
Advena, Ave dixit, me nola invitat ad Aram.
(l) Calliope mentita ſacrum, mentita virilem
Sexum, pro tanto perſolvit munere grates.
Fœmineo vox alta ſono, ſed mixta virili (m)
Obſtrepuit, vocem pede ſubſequor, exit ab horto
Regio, & iratas vidi contendere nymphas
Cum ſene: crine nives, glacies cui pendula mento,
Faucibus exulſans Aquilo, & de naribus halans
Articus, & Boreas, flores exſiccat, & herbas
Unguibus areolas frangit, vaſa ænea cedris
Subvertit, virides diſcriminat ordine Claſſes,
Et quæ feſſa bibunt fontem violaria perdit.
Floribus intexto, redimitaque Chloris amictu
Aſtitit exardens irâ, tamen expulit iram
Parnaſſi inſpectâ ſummo de vertice lapſa
Calliope: celebres inter celeberrima muſas
Quô Vadis? cur fœmineo nudaris amictu?
Phœbus Apollineo miſit me vertice, Regis

Aulam

(l) Calliope reddit grates Priori.

(m) Contentio Nympharum Chloridis cum hyeme, ejuſque deſcriptio, & viridarii regii devaſtatio.

Aulam (ſi liceat), divoſque videre Penates,
Quidquid & Urbs habeat, noſtrâ ut modulemur avenâ.
(n) *Sim tibi fida comes; tribus de Rege Puellis*
Ferculus eſt florum dandus, me Chloride, clauſas
Sic penetrare fores, penetralia viſere fas eſt;
REGE *petam dandas hyemi pro crimine pœnas.*
(o) *Non formoſa colit noſter* REX *ora Dearum,*
Nec dedignatur ſilveſtris amictus odorem;
Ad REGEM *veniam ſupplex, ſua jura December,*
Et brumalis hyems ſervat: ditione Viretum
Sub noſtrâ regitur; Cuſtos hoc immoror antro.
(p) *Obſervata ſequor reduci veſtigia paſſu.*
Atria lata patent; triplici firmata reductu;
Multiplici laqueata gradu, ad faſtigia greſſum
Scala docet, ſaxo latus hæc connectit utrumque.
(q) *Marmoreus me terret equus, ſuperinſidet Heros*
Æneus, en ſceptuum pertractat dextera, habenas
Leva regit, molem geminus vel ſuſtinet Atlas,
Pondere,

(n) Chloridis cum Calliope invicem collocatio.
(o) Hyems ſe defendit, & commendat Regis juſtitiam.
(p) Atria prima ad aſſenſum.
(q) Inibi Heros æneus inſidens equo marmoreo ſuſtento captivorum dorſo.

Pondere vel premitur, timeo properare, Penates
Invitant vigiles, animant ſimulacra Deorum
Præcipitem ſummo tutantia vertice lapſum.
Immoror ante fores, Chloris pede libera pergit
Ad Genitas Regis: *cuſtodes alloquor: Enſem*
Cur tua dextra tenet? librat cur læva ſtateram?
Cur tua frons galeam? ſtringit tua dextera telum?
Et cur gorgonea ſtrenuum premis Ægide pectus? (r)
Cur tu nuda ſinu plenas ex ubere mammas
Porrigis? & latis manibus tot munera pandis? (s)
Juſtitia, & Bellona, *ſimul* Clementia *in uno*
Fœdere conveniunt, Deitas in pectore Regis
Inſita trina ſedet.
Chloris ab obſequio rediit, placuitque Puellis
Cum Puero greſſum paſſim removere per aulam.
Tres Charites *vidi lapſas de numine, firmant* (t)
Quam tenui ſuſpenſa gradu veſtigia ridet
Majeſtate lepor, nativo murice ludit
In vultu candor, gemino lux fulget ab auſtro,
Lactea frons, quam vincit ebur, quæ purpura labris?
Et caſtigatis intentâ lege capillis.

Si

(r) Æges clypeus Palladis.
(s) Statuæ marmoreæ in ſcalis diſtributæ.
(t) Deſcribitur venuſtas filiarum Regis.

Si foret hìc viſæ preſens Venus æmula formæ
Juditio Paridis pendéret cauſa, fuiſſet
Facta vel in quatuor Pomi (u) *diviſio partes.*
Quem dedit Infantem Regis *lotharingica Conjux*
Inſpexi, Genitus Patris *eſt pars altera Cordis;*
Minus inermis amor, vicit ſine cuſpide Patrem,
Quem Pater ad bellum, ferro præcinget inermem,
Aut in purpureo cœtu Mauritius (x) *alter*
Murice ſplendeſcet Romanâ, ut Phæbus, in Urbe.
Pandit ad ingreſſum latas Clementia *valvas*
Siſtimus ante fores; ſpirant ingentia faſtum
Limina; jam vereor ſtratum pede tangere, primum
Vergere & intuitum; centeno e limine ductus
Ad limen, medio diſperſo lumine curſu,
Extremum haud fidor pertingere lumine limen.
Chloride regales viſurus in Ædibus Ædes
Protbraor, æthereos Atlas, qui ſuſtinet Axes
Fulcit, & ornatum pretioſâ fronte lacunar (y)
Emicat, & paries fuſo luxuriat auro.

Hìc

(u) Pomum a Paride dandum pulchriori.
(x) Olim Cardinalis Regiæ Originis.
(y) Ingreſſus in Aulam, & deſcriptio ejus longitudinis, & pretioſi cultus.

Hìc Ganges profudit opes, fluxitque per auram
Gurgite, & auratas ad tectum turgidus undas
Extulit, effuſo tota Ædes emicat auro.
Eſt auro ſua vincla pati (z) tenuiſſima fila
Ducta colo, fudit, quæ ſerica pectore Bombyx,
Et trajecit acu ſtudium, nunc pendula muris
Inſpice, captivo laqueata Aulæa metallo.
Mira colorato Chloris portenta vireto (aa)
Tranſtulit, & virides niveo de vellere flores
Erupiſſe vides; cum murice candor oberrat,
Ceruleus viridi, juncto cum fœdere Regi
Nectit odoratas pluri de flore coronas.
Flandria (bb) *verſato, quæ duxit ſtamina fuſo*
Contexit ſtudioſa manus; miracula Telis
Fixa vides, portenta docet natura, nec artem
Dixeris, aut artem naturam vincere dicas.
Undique nexa gelu, (cc) *gelidi criſtallina fontis*
Unda tenax, ſpeculis tetras animantibus umbras
Lucet, & inſpecto rejectum lumine lumen
Difuſo totam fulgore illuminat Aulam.

Ante

(z) Aulæa ex auro, & ſerico contexta.
(aa) Aulæa altera varietate florum perpolita.
(bb) Aulæa belgica.
(cc) Speculorum nitor multiplici ordine.

Ante per aggreſſum anguſto ſubvellere ſedes (dd)
Excelso venerata throno ſupereminet, alto
Vecta gradu; reſidet Majestas Regia, *utroque*
E latere inſervit geminata Potentia, *pompa*
Luxuriat, faſtuſque Humili *de* Rege *ſuperbit.*
De solio ad thalamum perge, (ee) *&* *connubia* Regis
Concine, regalem fœcondo germine Prolem
Muſa cane; at triplici viduatum Conjuge Regem
Muſa ſile: infandum haud liceat renovare dolorem.
Belge edocta manus pretioſo vellere picta
Stragula contexit, quales ſaturata colores
Ex auro jam lana bibit, miro ordine jactat,
Labunturque humili gemmata lacinia faſtu,
Stravit & exilem thalamis Holandia telam,
Quâ phrigia intexit tenuiſſima lintea Dido,
Morpheus & fudit nocturna papavera lanis:
Stat propè Religio (ff) *ſacris comitata figuris,*
Supremâ e medio Deitas ſuperinſidet Ara,
Et votis ſuccenſa micant Altaria, ſurgunt
De Regis *pietate preces; jam tela tonantis*
Eripit e dextrâ, & myſteria cum Jove tractat.

Muſa

(dd) Thronus regius.
(ee) Thalamus regius, ejuſque pretioſa ornamenta.
(ff) Penetrale, ubi Rex ſuas preces habet.

Muſa pedem remove, ſcelus eſt penetrale Deorum
Perturbare morâ, cantuque Arcana referre;
Perlege Tablinium: (gg) *hìc peperit natura figuras*
Arte procul, vivos dedit Iris amica colores,
Edidit & Paries parte ex utraque tabellas.
Nec magnus Macedo pictorem jactet Apellem,
Nec Zeuſes pictas quaſi jam roſtraverat uvas
Deceptus volucris, nec picto vellere Zeuſim
Paraſius ſtudio, quem jam meliore fefellit.
Vivere Phidiacas ſileant ſimulacra per artes
Mentoris, & ſcalpro vivos de marmore vultus
Produxiſſe manum; Heroes *mirare* Sabaudos
E tela, & ſaxo prçcingere tempora ſerto,
Et ſceptrum tractare manu, atque ad prçlia turmas
Flectere; at edoctam hìc ars vincit doctior artem.
Inſpice AMEDEUM *communi nomine quartum,*
Quem Magnum *jam fama canit, nigredine fœdam*
Hçreticâ Genevam domuit, devicta ſub armis
Brixia congemuit, ſolvit, rexitque cadentem
Obſidione Rhodum; lapſum de Mole Coloſſum
Erigat Heroi *Lidius, non Rhodia Soli.* (hh)

Quintus

(gg) Ubi Picturæ pretioſæ, & Reges, & Heroes Sabaudiæ dignoſcuntur.

(hh) Erexit Soli Rhodia Coloſſum Artifice Lidio.

Quintus AMEDEUS Taurini *primus in Urbe*
Erexit ſolium, ſacrum de VIRGINE COETUM
Inſtituit; magnũ quadruplex F. E. R. T. *littera ſignũ* (ii).
Hæc Equites in torque ferunt Inſignia cultus.
Alterum AMEDEUM *mirare in imagine divum,*
Septimus eſt, Marià viduatus Conjuge, eremo
Conditus in vigiles ducens jejunia noctes,
Perque dies, nudo pede, ſe ſe funibus arctat.
Mandat humi ſomnos; pietas redimita Camauro,
Per plures dominata annos ſe ſe exuit ultrò.
Quid memorem ſacris venerata cadavera in Aris,
Quos jam cœleſtem pietas evexit ad Axem?
VICTOR AMEDEUS, *magnos Rex maximus inter*
Sęcli primus honos; renovata Minerva tonantis
Prodiit e cerebro (kk), *completam Pallade mentem*
Edidit, & fortis vicit Mars Ægide Martem.
Eugenium *ſileam? thraciæ qui cornua lunæ*
Fregerat, & scytho ſpumantem ſanguine Savum
Viderat invictus, ſemper jam victor in armis.
Muſa ſile: nimis labor eſt fœcunda canenti
Heroum

(ii) Hæ litteræ ſignificant – Fortitudo Ejus Rhodium Tenuit.

(kk) Fingit Poeſis Minervam de Jovis cerebro productam.

Heroum geſta in ſeriem profuſa referre.
Ebria tam miro viſu viſura Theatrum (ll)
Pergit, ut aſſuetâ carmen meditetur avenâ
Calliope: Frontem ſpatiis extructa recurvis
Objectat curvata ſinu, deductaque flexu
Moles diſpergit varios pictura colores
Vertice, & epictas fabri ſtructura columnas
Evehit in loculos partita, & dempta caſellas,
Completoque ineunt diviſa ſedilia cœtu.
Pompam aperit ſedes luxu majore nitentem
Regia, (mm) *& aurato ridet fucata colore:*
Aulæis veſtita micans, aſarota tapetis
Proſtratis hilarant calcari de pede Regis;
Pandunt lata ſinum variis tabularia ſcenis,
Et placet infictis verum ſimulare figuris.
Audio, nec fallunt voces audita canentes
Immiſcere ſono, (nn) *nec fila loquentia plectro*
Diſſidium pariunt, ſed juncto hìc fœdere voci
Conciliant ſonitum, & copulat concordia cantum.
Directo intuitu renovatâ lege tribunal (oo)

Inſpexi

(ll) Theatri deſcriptio.
(mm) Loculus Regius, ejuſque ornatus.
(nn) Concentus Muſicæ.
(oo) Tribunal Judicum.

Inſpexi; ad magnum jam non reditura Tonantem
Hìc Aſtrea ſedet, (pp) *ſacris comitata miniſtris*
Aurea ſecla colens, huc noſtri Regis *ad oras*
Lapſa Jove, impletas divinâ Pallade mentes
Eligit ad meritum, juſtis & tradidit enſem,
Jura ſacris purgata focis altaria credunt
Codice Victorio. Arcana penetralia Martis (qq)
Vix pede ad arcta premo, ſervata ſilentia in Aula
Belligeri miror, digito compeſcere labrum
Mavortem video, calamoque volumina fido
Scripta tacere jubet; fas eſt deſcendere ad imum
Huc ubi compoſito concluditur Area circo.
Non procul excelſum Carignani *Principis Ædes* (rr)
Elevat alta caput, ſtructura adamantina vultum
Lato aperit proſpecta foro, curvataque utroque
E cubito gremium cingunt vaſta atria latis
Porticibus, centum fulcitaque tecta columnis.
Interiora ſile, ſcelus eſt, non viſa referre.
Occiduus Pelago jam Sol decumbit Ibero
Defeſſos jam ſolvit equos, devecta per auras

 Evolat

(pp) Juſtitiæ, & æquitatis Deam tantùm in Cœlis habere sedem fingit Poeſis.

(qq) Penetrale Belli.

(rr) Palatii Principis de Carignano deſcriptio.

Evolat in curru Chloris ; Nox atra ſopores
Cimerios tulit ; equoreis extollerat undis
Rorantes aurora Comas , & cornua lunæ
Jam periere , thoro vigilanti lumine ſurgo
Eridanum ut videam primo de fonte fluentem.
Quem vidi ad placidas lætum decurrere lymphas, (ss)
Ut Muros Urbis lambat , Civeſque ſalutet
Murmure ; plorantes phaëtontis fata Sorores
Ad ripas vidi , phœbeis ignibus uſti , &
Nayades placidos per fluctus ludere ; verſa (tt)
Remigat illa manu , lenes pede dividit Undas
Illa , ſubimmergit caput altera , & altera jactat
Brachia mille modis ; rorans caput extulit undis
Nympha , videt juxta virides conſidere ripas
Calliopem ; excutiunt madidos de flumine crines ,
Abſterguntque ſinu lymphas velamine cinctæ ,
Altera in amplexus currit , dat & oſcula fronti
Altera , & alterius junguntur dextera dextræ ,
Verbaque pro ritu mutuo civilia fiunt.
Auſpice quo Eridani placuit te viſere noſtri
Litora ? mentito incedis velamine ? phœbo
Miſſa moror viſura Urbem , viſuraque REGIS
Aulam ,

(ss) Ferè primo ortu Padus effluit prope Urbem.
[tt] Nymphæ natantes inter vadas Padi.

Aulam, ut viſa feram, modulandaque muſis,
Et phœbo pulſante fides, ſic otia montis
Fallimus. At memores nos jam duxiſſe choreas
Aula in apollinea, fuit & contentio cantus,
Sirenes inter noſtras, veſtraſque canentes.
Nunc vigiles pro Rege *ſumus, conduntur in undis*
Mœnia, pugnamus, tanto munimine, in hoſtes. (uu)
Cuſtodire fores, aperire, & claudere Valvas
Muneris eſt noſtri, confinia noſtra, tueri.
Cerne fatigatos, tam longo tramite, fines
Sub noſtra ditione regi (xx) *confinia lumen*
Poſſe ſequi prohibent, ſpatia inter grandia viſum
Captivum vidiſſe placet, ſtructura nec impar
Parte ab utraque colit machinas, oneroſa columnas
Tecta premunt, merces aperit fœcunda tabernis
Porticus innumeris, tectumque ad ſidera frontem
Elevat æqualem, cœlique etentat in Axem
Ferre caput, ſeù ethereis adjungere muris
Muros, ut fiat cum Cœlis unica ſedes.

 Palla-

[uu] Civilis ritus nympharum cum Calliope, & collocutio.

[xx] Oſtendunt Calliope confinia, & curſum Padi, Palatia pari ordine, & pretioſa queque, ſuamque magnificentiam.

Palladis hìc ſedes, doctæque hìc Aula Minervæ (yy)
Aſſeclis varias aperit ſtudioſa paleſtras,
Hìc latas pandit ſtudiis Reſpublica valvas.
Ingredere has ædes, tu tàm celeberrima cantu?
Hìc canit arguto deducta poemata plectro
Muſarum ubertas, refluitque heliconia rupes;
Diffluit hìc Rhetor facundus in arte querelas,
Et fora laude ſonant, tenebrataque corda ſerenat
Eloquio; Thæos ſcrutari in Numine lumen
Edocet una Trias, cur numine ſpiret utroque
Divus Amor, non viſa capit myſteria, credit
Ingenioſa fides; rerum num qualis Origo
Phyſica dat legem, cur fracta tonitrua vibrent
Fulmina, & impletas dicit de grandine Nubes
Patrem; tum Codices, tum textus, juraque legis
Hìc Aſtræa docet, quanta eſt in Pallade virtus,
Totam hanc innumeris dat plena volumina libris.
Ludus equos ſub lege regit, [zz] *documenta magiſtræ*
Inſtruit hìc virgæ, curvo modo flectere gyro,
Nunc moles ſinuare fugas, nunc alta ſuperbo
Erigere ora gradu, glomerato fallere ſaltu
Edocet,

[yy] Athæneum Regium.
(zz] Paleſtra equorum.

Edocet, & recto callem componere paſſu
Ille meduſeo Neptuni ſanguine cretus
Muſa [inquit] jam cedat equus, non Pegaſus alis
Quadrupede hoc levior, curſu qui provocat auras.
Quidquid habet via publica, placet, viſiſſe, Plateam (aaa)
Lumine pervenio, carolinam nomine, fines
Tangimus; hìc Bacchus vitis de palmite cinctus
Erigit imperium; alterius confinia Juris
Haud ſuperare licet; Thetis eſt diſiuncta Lyæo
Fœdere, & æquoreis Bacchi tripudia Nymphis
Sunt odio: Obſequium Phœbo Muſiſque ſalutem
Ferto: Muſa Vale: REGEM *bene concine, & Urbem.*
(bbb) *Confundit faſtus mentem, deductus ab Æde*
Tàm celsâ intuitus nutat; ſtructura quadratam
Demonſtrat molem, ornatis & compita Muris.
Hìc vectigal habet Liber, vindemia labris
Exundat rubris, ſpumantia dolia muſto,
Et captiva cadis hilarant ibi Vina, mitretis
Diſtribuit pretio exoneratæ pondera vitis
Mæonio liquefacta mero. Te carmina muſis
Bacche Pater dictante fluunt; convivia menſis,

(aaa) Platea vulgò Carolina, ubi vina venduntur.
(bbb) Deſcriptio Ædium quadrato ordine, & altitudine ſumma, & inibi Bacchus ſedem habet.

Te ſocio exhilarant, jucundo gaudia ludo
Hoc latice elaxas, Saturnum vincis, & Iras.
Calliope, cui vina placent, inviſere Bacchum.
Complacuit, juncto nam fœdere Bacchus, Apollo
Conveniunt, Cyrrhæ juxta cum vertice Niſæ (ccc)
Hoſpitium junxiſſe ferunt, Caſtalia Rupe
Unda fluit gemina, læto nec Phœbus Jaccho,
Nec Bacchus ſonitu Phœbi, ſeu voce triumphat.
(ddd) *Obliquo, & reduci me transfero tramite, Portam*
Viſere Victoriam, hæc flexu curvata Theatrum
Lata aperit, ſacram dextram latus exhibet Ædem
MAURITII, & LAZARI; *diroſque per æquor in hoſtes*
Religio fovet arma, fides labente monili
Condecorans Equites forma, monumentaque læva
Ex parte inſpicio, Taurorum conſita dorſo.
Inſequor, & totam miror miranda per Urbem,
Quotquot Cloris habet viridi de germine flores,
Quotquot & alma Ceres fœcundo germine ariſtas,
Et quotquot Liber gravidis de vitibus Uvas,
Urbs totidemque pares pleno parit ubere fructus,
Quid-

(ccc) Cyrrhæ Mons Apollini, Niſæ clivus Baccho uterque proximus.

(ddd) Porta Victoria, vulgo Palazzo, ubi ſacra Ædes Ordinis S.S. Mauritii, & Lazari.

Quidquid & Eoo de littore venerit, Undas
Sive per occiduas totum exhibet, Anglia merces
Hùc opulenta ſuas, auro gemmiſque refertas,
Artis opus phrygiæ, tranſmittit Gallia veſtes,
India mittit ebur, mittunt ſua Thura Sabęi;
Quidquid habent pretii merces, fœcunda tabernis
Metropolis quaſcumque tenet, vel temperet æſtus
Ardentem concreta ſitim nive potio, Vini
Spiritus, aut herbis medicamina, pectore crudos
Ut tergant cocolata cibos, quid potus & eſca
Poſcit, & ornatus, totum Urbs tibi pręſtat ementi.
Cum mihi tanta oculis ſpectanti, & plura ſtupenti,
Obvia fit Turris jactans, in ſtemmate, Taurum. (eee)
Nec mirum fortes tam fortia pectora Cives
Si foveant, animoſque pares; Aſiæ emula Tauro
Monti non Turris cedit, nec cedit Olimpo.
(fff) *Hìc Romana vides Aquilæ volitantia pennis*
Signa, & Pręturem ſubſellia picta prementem,
Videris Imperii monumenta, & jura Quirini
(ggg) *Quid*

(eee) Turris altiſſima Taurum pandens Urbis ſtemma.

(fff) In ejuſdem proſpectu Julius Cæſar, & romana vexilla.

(ggg) *Quidmemorẽ ſacra Tẽpla Deo! ſtupor ipſe ſtuporẽ*
Ebriat, & viſus jam perdit lumina, faſtu
Obcęcata novo, pario ſculptura Columnas
De ſaxo ad culmen tollit, ſtructura laborem
Non ſatis impendit pretio, repolitaque Cornix
Charum jactat opus, paries intermicat auro,
Ornamenta vigent pretium, pretioſa metallo
Cuncta nitent, ſacris vivit pictura figuris.
(hhh) *Concine, quo colitur* SINDON DIVINA, *ſacello.*
Ara ingens, quam celſa jugo, ſuffulta ſuperbis
Erigitur gradibus, ſinvoſum ducta per Orbem,
Marmoribus ſtructura nigris caput elevat alto
Vertice turritum, lenes laxata per auras
E medio confixa globo, data lumina Phœbo
Nube bibit vitreâ, numeroſaque lampas in auro
Advigilat, rutilantque faces, adamante coruſcat
Intermixta auro, & vario nitet Ara metallo.
Quanta oculis ſpectata meis? pede calco Plateam (iii)
Herbarum, hìc Hyemem viridi, Ver fallit in horto,
Quantas

(ggg) Sacra Templa pretioſo labore, & eleganti opere compoſita.
(hhh) Deſcriptio Sacelli SS. Syndonis.
(iii) Ubi omnia comeſtibilia venduntur.

Quantas ille parit, tantas diſcriminat herbas
Herbarum ſpecies; hìc corbula caulibus, illic
Pandit plena ſinum rafanis, hìc Coſtula betis,
Hìc Calathus bulbos, seleros hìc ſporta, famemque
Quod ſtimulat variis permixtum ſemen in herbis;
Æquore tùm veniunt, tùm flumine muta natantum
Agmina, ſeù canibus placido turbata Cubili
Prȩda ſatis ſudata fugæ, nunc gentis acervos
Pennatæ implumes habeas, pingueſque Vitellos
Lacte vides, teneramque tenes pinguedine carnem &
Quidquid habet lactis gravidis Heleutia mandris
(kkk) *Effluit e Duria, & ſerpit curvata per Urbem,*
E fluvido generata ſinu, deflexaque in orbes
Filia, lambit humum, ſaxis dat & oſcula, gyro
Se flectit, refugis cœnum detergit in undis;
(lll) *Altera Seguſium demonſtrat Porta, voluptas*
Invitat properare pedem, quoquo obvius æquis
Clauditur in ſpatiis trames longo ordine, & Ulmi
Umbrarum patres frondoſo vertice ludunt
Phœbeos ignes, umbroſaque tecta ſubire

Lȩtantur

(kkk) Duriæ fluminis ramus per Urbem effluit.
(lll) Porta vulgò Suſina, ubi trames per longum iter proſequitur Ulmorum ordine.

Lętantur pedites, recreantque umbracula Cives
Forcipe ego Dryades vidi, cervice regreſſas
Caſtigare comas, ſiccataque brachia plantis
Scindere ſylveſtres, ſtudioſa falce Napeas.
Verto pedem gaviſa ſatis, me invitat ad arcem (mmm)
Mavors, cui lateri clypeus, loricaque tergo
Ferrea, veſtibulum, & validis ſuſpenſa catenis
Atria declinat, ferrato cardine poſtes,
Arctaque plus triplici firmataque limina vecte
Pandit ad ingreſſum; captivos compede vidi
Exſudata reos operi dare terga, labori
Invitas pręſtare manus, deferre catervas
Lignorum, lapidumque ſtrues ad Mœnia; ducit
Viſere ferratis inniti tecta columnis,
Et centena domos alto præcingere Vallo
Mœnia, lunatas circùm undique cornua molem
Vertere, & armatis munimina ſerpere Muris,
Cœnoſumque vadum Thetidis, cum valle lacunam
Pervigilem latis circumdata Mœnia foſſis
Cuſtodire fores, tutiſque pomœria portis.
Arcanas ſub luce vias, penetralia, & ima
Quantas condit humo, de ignito pulvere in hoſtes
Inſidias

(mmm) Arx fortiſſima, ejuſque deſcriptio.

Inſidias vidi , tormentaque bellica fortis
Hìc librator habet , totam diviſa per arcem.
Non ſileam puteum vivas, qui porrigit ori,
Ad turmam ſitientis equi, pleno ubere, lymphas.
Arx Italas inter dicatur fortior arces.
Belligero ſolvo grates ; ad Apollinis aulam
Œconomi REGIS *propero ; ob* Ampliſſime PRÆSUL ;
Ædere Taurini *placeat*, *ſub* TE Auſpice, C*antum*.

BIBLIOTECA
76952

PROVI
B